This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LL
20
313.5

Ll 20.3/3.5

Harvard College Library.

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 18 Sept. 1896.

Beginning - p.16

5304

PROGRAMM

des

GROSSHERZOGLICHEN GYMNASIUMS

ZU OLDENBURG.

Ostern 1892.

Inhalt: 1. Wissenschaftliche Abhandlung des Gymnasiallehrers Heinrich Frerichs: Quaestiones Lucretianae.
2. Schulnachrichten. Vom Direktor Dr. H. Stein.

1892. Progr. Nr. 666.

Oldenburg.
Druck von Gerhard Stalling.
1892.

Ll 20.9/3.5

HARVARD COLLEGE
SEP 18 1896
LIBRARY.

Constantius Fund.

Quaestiones Lucretianae

scripsit

Henricus Frerichs.

Versus libri primi 503—634 quo ordine Lucretius scripsisse existimandus sit, adhuc sub ..ce lis est. Maximeque versus 551—564 et 577—583, quos iam Marullus suo loco stare ..averat, ab hominibus doctissimis huc illuc transpositi sunt. Singulas transpositiones, de quibus ..per Susemihlius in Philologi volumine XLIV et Tohtius (Programm des Königl. Gymnasiums zu ..helmshaven, 1889) accurate disseruerunt, non retractabo, sed versus 551 sqq. ita scrutabor, iis innisus in ceteros illos ancipites et satis lubricos locos excurrere possim.

551. Denique si nullam finem natura parasset
frangendis rebus, iam corpora materiai
usque redacta forent aevo frangente priore,
ut nil ex illis a certo tempore posset
555. Conceptum summum aetatis pervadere finis.
nam quidvis citius dissolvi posse videmus
quam rursus refici; qua propter longa diei
infinita aetas ante acti temporis omnis
quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,
560. numquam relicuo reparari tempore posset.
at nunc nimirum frangendi reddita finis
certa manet, quoniam refici rem quamque videmus
et finita simul generatim tempora rebus
stare, quibus possint aevi contingere florem.

Quamquam quid in universum Lucretius demonstrare velit, non in obscuro est, tamen singula admodum incerta sunt et quomodo verba „ut nil ex illis a certo tempore posset / conceptum summum aetatis pervadere finis“ explicanda et emendanda sint, parum constat.

Ac plurimi quidem interpretes verbis „a certo tempore“ respondere verba „finita tempora rebus stare, quibus —“ itaque „a certo tempore“ idem fere valere atque „certo tempore“ censent, Briegeri explicationem amplexi, qui in Philol. volumine XXIII pg. 471 haec dicit: „Unter dem überlieferten entspricht nun in der ganzen Stelle das a certo tempore — pervadere dem finita tempora rebus stare, quibus etc. Es heisst „von einem bestimmten, d. h. in bestimmtem Abstande vom Zielpunkt befindlichen, Anfangspunkte (der Entwickelung) an. Wir sagen „in einer bestimmten Zeit.“ Vergleichen lässt sich das lokale ex eo loco ab millibus passuum octo bei Cäsar B. G. IV, 22, 4.“

At Caesaris verba, quae ni fallor vertenda sunt „in einer Entfernung von“ cum hoc loco non bene congruunt (cfr. Handii Tursell. I 41). Munroius qui item vertit „within fixed time“ alia exempla affert: Lucr. I 769 „alternis gignuntur enim mutantque colorem / et totam inter se naturam tempore ab omni.“ Sed ibi poeta a certo quodam initii termino exiens totum temporis spatium comprehendens perpetuitatem temporis designat, quam aliis locis exprimit „ex infinito iam tempore“; nos dicimus „seit“ (cfr. Handii Tursell. I 21). Eadem est significatio praepositionis „a“ apud Livium XXIV, 46, 4: „imber a media nocte coortus“ et apud Ovidium ex P. II 3, 79: „quo sit primum nobis a tempore cultus.“ Neque magis his verbis convenit exemplum Horatianum: Sat. I 6, 94: „nam si natura iuberet a certis annis aevum remeare peractum“; certi enim illi anni terminum significant, quo siquis pervenerit, inde peractum tempus remeare licere Horatius ponit.

His igitur exemplis non affirmatur „a certo tempore“ idem esse atque „certo tempore.“

Huc accedit ut in ea re Lucretius soleat „suo tempore“ vel „in tempore“ vel „certo tempore“ vel „in certo tempore“ dicere cfr. I 176: certo suo quia tempore semina rerum / cum confluxerunt. I 351: crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt. I 1037: unde amissa solent reparare in tempore quaeque. II 259: declinamus item motus nec tempore certo / nec regione loci certa. V 636: fit quoque ut e mundi transversis partibus aer / alternis certo fluere alter tempore possit. V 654: tempore item certo roseam Matuta per oras / aetheris auroram differt et lumina pandit. V 659: semina multa / confluere ardoris consuerunt tempore certo. V 667, 668, 669: multa videmus enim, certo quae tempore fiunt / omnibus in rebus. florescunt tempore certo / arbusta et certo dimittunt tempore florem. V 746, 747: quo minus est mirum, si certo tempore luna / gignitur et certo deletur tempore rusus. V 665: quod haec ignis tam certo tempore possunt / semina confluere. V 748: cum fieri possint tam certo tempore multa. V. 670: nec minus in certo dentes cadere imperat aetas / tempore et impubem molli pubescere veste / et pariter mollem malis demittere barbam. V 820: quoniam genus ipsa creavit / humanum atque animal prope certo tempore fudit / omne.

Quibus exemplis elucere mihi videtur Lucretium hoc uno loco praepositionem „a“ non temere addidisse, neque verba „a certo tempore“ verti posse „in einer bestimmten Zeit.“ Quod tamen ut possint, at vereor, ne Briegerus res non minus certo tempore ad florem perventuras esse docere videatur, si nullam finem natura parasset frangendis rebus quam fine frangendi manente. Dicit: Nichts aus den Trümmern unendlich zersetzter Materie gebildetes würde mehr in seiner (jetzt) bestimmten Zeit bis zum Gipfel der Entwickelung gelangen können. Das Pferd z. B., das jetzt drei Jahre dazu gebraucht (V 883 f.), würde vielleicht zehn dazu gebrauchen. Denn den Gedanken an eine kürzer werdende Dauer der Entwickelungszeit schliefst der Zusammenhang aus.

Nihil interest, utrum equi triennio an decennio ad florem perveniant. Spatium decennii logius neque tamen minus certum est quam spatium triennii. Incertum tempus foret, si fierent iuvenes subito ex infantibus parvis / e terraque exorta repente arbusta salirent (I 186).

Sed ne in dumeta correpam, eo unde egressus sum revertor. Si praepositio „a" non temere addita propriam vim tenet, ut vertendum sit „von einer bestimmten Zeit an, seit einer bestimmten Zeit," cum verbis „finita simul generatim tempora stare, quibus" verba „conceptum — finis" non iam respondeant, etiam floris mentio, quam plurimi poposcerunt, in versu 555 necessaria non est.

Hermannus Lotze (quaest. Lucret. Philol. VII pg. 700) eam ne ferri quidem posse censet et explicat: „si certo quovis temporis momento rei cuiuslibet formandae initium vel fieri vel factum fuisse fingeres, ad perficiendam tamen formationem eius neque quod ab initiali illo momento huc usque praeterlapsum esset tempus, neque futuri aevi infinita aetas omnis sufficeret. Non igitur a flore tantum aetatis res Lucretius arcet, sed quod conceptum fingit, ne ad partum quidem pervadere concedit." Quam ob rem a restituendi conamine prorsus abstinens in eo persistit Lotzius, ut tale aliquid scripsisse putet Lucretium, quale hoc est „ut nil ex illis a certo tempore posset conceptum primum aetatis pervadere limen."

Neque tamen his subscribo; nam etamsi cum Lotzio consentio Lucretium dixisse nihil ex illis corporibus admodum debilitatis nasci posse, tamen non video cur poeta auctum rerum genitarum commemorare non potuerit. cfr. II 545/546: infinita tamen nisi erit vis materiai, / unde ea progigni possit concepta, creari / non poterit, neque, quod superest, procrescere alique. II 563: numquam in concilium ut possint compulsa coire / nec remorari in concilio nec crescere adaucta. Neque vidit Lotzius Lucretium verbis traditis iam negare quicquam ex illis concipi (et aetatis pervadere fines) posse et nimis artificiose verba „a certo tempore" explicavit.

Omissa voce „summum" haec erit sententia. Si nullam finem natura parasset frangendis rebus, iam autehac corpora materiae usque redacta forent aevo frangente priore, ut certum exstitisset tempus, a quo nihil ex illis concipi et aetatis fines pervadere posset. Idque cur sumat, poeta recte proximis verbis explicat „nam quidvis citius dissolvi posse videmus quam rursus refici."*) Aliquamdiu enim fortasse, etiamsi frangendi finis non constaret, dissolutio et recreatio inter se certarent, sed cum paullatim multo plura dissolverentur quam recrearentur, et partes primordiorum magis magisque deterrerentur et detruderentur, primordia non tam varie conecti possent. Denique eo res pervenisset, ut primordia non iam essent partibus aucta neque haberent ea quae debet genitalis habere materies: varios conexus, pondera, plagas, concursus, motus, per quae res quaeque geruntur (cfr. I 628 sqq.). Atque propter infinitam temporis transacti perpetuitatem certum aliquod temporis punctum iam venisset, a quo dissolutio recreationem ita vicisset, ut nihil iam recreari posset. Quapropter quod usque ad hoc certum tempus infinita aetas disturbans dissolvensque fregisset, numquam relicuo reparari tempore posset. Nunc vero, cum omnia semper refici, immo etiam finita generatim tempora rebus stare videamus, quibus possint aevi contingere florem, illa dissolutio infinita esse non potest, sed certamen aequum factum est, quod II 569 sqq. pulcherrime describitur:

*) Coniunctio „nam" non bene congruere videtur cum interpretatione eorum qui res tantum certo tempore ad florem perventuras esse negant. cfr. Christii quaest. Lucr., pg. 13 qui cum aliam argumentationem inferri putaret „iam" pro „nam" scribi iussit.

„Nec superare queunt motus itaque exitiales
perpetuo neque in aeternum sepelire salutem,
nec porro rerum genitales auctificique
motus perpetuo possunt servare creata.
Sic aequo geritur certamine principiorum
ex infinito contractum tempore bellum."

Quod ad ipsa verba attinet, quoniam vitae, non floris mentionem fieri verisimile esse mihi videtur, verba „aetatis pervadere fines," quae sententiae satisfaciunt, temptanda non esse cum Lachmanno consentio. Similiter poeta III 590: „quin etiam fines dum vitae vertitur intra." Quamobrem mutationes, quas Briegerus (Bursian Jahresber. 1879 II pg. 183), Munroius, Woltjerus (Jahrbücher 119 pg. 776) proposuerunt: „ad summum aetatis pervadere florem" vel „pervadere ad auctum" vel „pervadere culmen", quae et longius a librorum scriptura recedunt et floris mentionem supervacaneam inferunt, parum verisimiles sunt. Ellisii coniectura (Journal of Phil. 15, 1886 pg. 10): „conceptum summum aetatis pervadere fini" ne versione quidem auctoris satis explicari mihi videtur: nothing could reach through the crowning point of life with an end".

Etiam quod ipse Lachmannus coniecit „summa" ferri non posse videtur, quoniam, etiamsi „universo vivendi actu" significare possit, tamen quomodo aliquis alio modo atque universo vivendi actu aetatis fines pervadere possit, non intellegitur. Ipse, quod subest versibus 554/555 nihil iam refici vel rursus creari posse ab illo tempore quo magis appareat, hanc rationem ineundam censeo:

„ut nil ex illis a certo tempore posset
conceptum ru(r)sum aetatis pervadere fines.

Cum enim Lucretius vocibus rursus et rursum vel rusum (cfr. III 999) promiscue utatur, facile fieri potuit, ut librarius duas vel tres litteras oculis transiens „sum" scriberet, unde praecedente conceptum codicum scriptura oriretur. cfr. III 845 „nec, si materiem nostram collegerit aetas / post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est / atque iterum nobis fuerint data lumina vitae . . ."

Quodsi recte interpretatus sum, versibus 551—564 accuratius explicatur, quod Lucretius antea versibus 540 sqq. dixit:

Praeterea nisi materies aeterna fuisset,
Antehac ad nilum penitus res quaeque redissent,
de niloque renata forent, quaecumque videmus.
at quoniam supra docui nil posse creari
de nilo neque quod genitum est ad nil revocari,
esse immortali primordia corpore debent,
dissolvi quo quaeque supremo tempore possint,
materies ut suppeditet rebus reparandis.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
nec ratione queunt alia servata per aevom
ex infinito iam tempore res reparare.

Ac ne quis, etiamsi atomi non extarent, tamen aequo certamine motuum exitialium et genitalium semper res reparari posse putet, poeta quidvis citius dissolvi quam refici posse monens iam

a certo tempore dissolutionem solam faturam fuisse docet. Antea axiomata „nil ad nilum“ et „nil de nilo“ spectaverat, nunc revera futurum fuisse demonstrat, ut ipsae res ad nilum revocarentur.

Itaque versus 540—564 divellendi non esse mihi videntur.

His expositis mihi liceat, quomodo versus 540—564 cum eis qui praecedunt, 503—539, et eis qui sequuntur, 565—598, cohaerere existimem, paucis ita disserere, ut singulas quae multa sunt difficultates omittam. Atque versus 503—539, quibus corporis et loci naturas cogitari non posse, quin etiam corpora prima solida ac sine inani esse sumantur, illa vero, cum inani careant, etiam aeterna esse debere demonstratur, unum argumentum continere videntur; nam quamquam quattuor sunt partes, 503—510, 511—519, 520—527, 528—539, tamen nulla pars, sed demum omnes coniunctae id demonstrant, quod poeta se expediturum esse versu 500 promiserat „esse ea quae solido atque aeterno corpore constent“.

Huic vero argumento poeta, cuius permagni interest fundamentum totius doctrinae quam solidissimum reddere, addit tamquam demonstrationem e contrario atque versibus 540—550 primordia aeterna et cum nisi soliditate et simplicitate periculis libera esse non possint, solida putanda esse explicat. Etiam verba ipsa, „nisi materies aeterna fuisset“ ea quae praecedunt „sint haec aeterna necessest“ respicere videntur. — Itaque cum iam antea demonstrare conatus sim, quam arte versus 540—550 cum versibus 551—564 conexa sint, tres habemus articulos eiusdem argumenti:

1. principio 503—539, 2. praeterea 540—550, 3. denique 551—564.

Sequitur aliud argumentandi genus versibus 565 sqq. „Huc accedit uti etc.“ Si solidae atomi, ait Lucretius, fundamentum naturae esse sumuntur, non solum quo pacto haec rerum summa fiat, quae, cum ex aere, aqua, terra, vaporibus constet, in universum mollis dici potest, sed etiam qua vi singula quaeque, sive durata, sive spissa, sive mollia gerantur explicari potest*). Illi vero, qui mollia primordia esse putant, quamquam ea quae mollia sunt quomodo facta sint, explicare possunt, tamen qua vi singula quaeque gerantur et unde validi silices ferrumque creari possint rationem reddere nequeunt.

Itaque Epicuri doctrinam veram esse et primordia solida pollentia simplicitate esse debere secundum illud magistri edictum concludit, quod apud Diogenem Laertium X 34 scriptum invenitur: ἀληθῆ τέ φασι καὶ ψευδῆ τυγχάνειν· ἂν μὲν γὰρ ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται, ἀληθῆ εἶναι· ἐὰν δὲ μὴ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται, ψευδῆ τυγχάνειν. Epicuri igitur sententia vera est, quia cum ea omnia congruunt, adversariorum falsa, quia illi non omnium rerum originem explicare possunt. Antea versibus 503—564 certis quibusdam causis aut refutatione contrarii id quod vult demonstravit. Antea dixit: „nisi materies aeterna fuisset, antehac ad nilum penitus res quaeque redissent. de niloque renata forent“, „si nullam finem natura parasset“, hoc loco prorsus alitur dicit: „at contra si mollia sint — non poterit ratio reddi.

*) „reddere“ hoc loco valere „rationem reddere“ et pro „possint“ scribendum esse „possit“ Sauppius docuit de T. Lucr. codice Victoriano pg. 13. Voci „omnia“ vocabulum „quaeque“ graviter opponi videtur. Quamquam omnia, aer, aqua, terra, vapores, e quibus haec rerum consistere summa videtur (V, 237), mollia fiunt (V, 449—494), tamen singula quaeque aut magis condenso conciliatu artari possunt validasque ostendere vires, ut silices et ferrum, quae hamatis et ramosis primordiis componuntur (II, 444 sqq.) aut rariora sunt, quia ex levibus atque rotundis corporibus primis constant.

Venimus iam ad versus 577—583, quibus iniuria, ni fallor, interpretes ordinem sententiarum turbari putaverunt. Fingit poeta se adversariis primordia solida non esse concedere, deinde tamen neminem quaeque corpora etiam nunc superesse negare posse dicit, cum res adhuc ex iis reparentur. Illa nero corpora periculo nondum temptari potuisse, quoniam propter fragilitatem peritura fuisse viderentur. At, ait, apparet primordia aeterno tempore anteacto innumerabilibus plagis adeo vexata esse, ut, si fragilia essent, saepissime in periculo versata neque tam diu integra futura fuerint. Discrepat igitur primordia fragilia esse et tamen adhuc res reparare.

Hos versus, quamquam primo aspectu versus 551—564 repetere videntur, tamen suo loco stare et cum eis qui praecedunt artissime coniunctos esse existimo, cum etiam hoc loco Lucretius adversarios ita refutare studeat, ut eos rerum naturam explicare non posse, sed in discrepantias incidere dicat. Verba „si nullast frangendis reddita finis / corporibus“ et „at quoniam fragili natura praedita constant“ satis ostendere mihi videntur poetam hoc loco similiter argumentari atque antea verbis „si mollia sint“.

Simul versus 577—583 gradationem quandam efficiunt sententiae. Nam cum antea eos, qui primordia solida esse negant et potius mollia esse existimant, quomodo res durae exstiterint, explicare non posse dixerit, nunc eos ne id quidem explicare posse comprobat, quomodo primordia, quae frangi possint, per aeternitatem durare potuerint. Quamobrem poeta illam conclusionem „sunt igitur solida pollentia simplicitate etc“ nunc iam omittere poterat.

Cum hac mea interpretatione etiam id optime congruit, quod Gneissius de particula „porro“ animadvertit. (Jahrbücher 123 pg. 497 sqq.): „Lucrez gebraucht die Partikel porro, wenn er sie zur Verbindung von Sätzen bezw. Satzgefügen oder Abschnitten sei es einer Argumentation oder einer Aufzählung verwendet, immer so, dafs er durch dieselbe zwei Glieder zu einem Ganzen zusammenfafst. porro findet sich also bei ihm als Übergangspartikel nur am Anfange des zweiten von zwei eine Einheit bildenden Gliedern.

Restant versus 584—598, quibus etiam propter constantiam illam, quae in rerum natura inveniatur, immutabilem materiem esse demonstratur. Nam si primordia rerum commutari aliqua possent ratione revicta, incertum quoque iam constet, quid possit oriri, quid nequeat, finita potestas denique cuique quanam sit ratione etc. Itaque cum his quoque versibus Epicuri doctrina rerum naturae rationem reddi posse, ceterorum doctrina non posse demonstretur, tres habemus argumentationes arte cohaerentes, quibus Epicuri doctrinam ἐπιμαρτυρεῖσθαι, ceterorum ἀντιμαρτυρεῖσθαι docetur:

1) vv. 565—576: huc accedit, uti
2) 577—583: porro
3) 584—598: denique.

Tertium genus argumentandi in versibus 599—634 inest, quibus Lucretius etiam propter minimarum partium individuum conciliatum corpora prima solida atque aeterna sumenda esse docet. Tres sunt partes huius argumentationis, quarum secunda et tertia primam supplere et fulcire videntur. Postquam enim praemissa definitione minimarum partium quid momenti illae ad primordiorum soliditatem comprobandam habeant exposuit (599—614), minimas partes tales, quales dixerat, constare versibus 615—634 ita comprobat, ut versibus 615—627 accuratius explicentur

verba „id nimirum sine partibus extat et minima constat natura," et versibus 628—634 respondeant verba „nec fuit unquam per se secretum neque posthac esse valebit."

Aliam viam Lucretius ingreditur his verbis, ut solida et aeterna primordia esse comprobet. Neque tamen versus 599 sqq. cum thesi non bene congruere Tohtio concedere possum, qui pg. 28 haec dicit: „v. 599 stehen gar nicht mehr unter der These, welche den Nachweis von corpora solida (= sine inani) atque aeterna als Bestandteilen der existierenden Dinge ankündigte. Nun ist aber zweifellos der eigentliche Zweck der Lehre von den Teilen der Atome der, die verschiedene Gestalt und Gröfse derselben zu erklären. Wird schon dadurch die Vermutung nahe gelegt, dafs der Dichter erst, als er bis zum zweiten Buche vorgeschritten war, die Lehre von den minimae partes auszuführen unternahm und nun dieselbe schon für die Begründung der Atomenlehre im ersten zu verwenden beschlofs, so spricht hierfür besonders auch der Umstand, dafs die ganze Auseinandersetzung über das ἐλάχιστον bei Epikur nicht innerhalb des Abschnitts, nach welchem Lucrez mit geringer Abweichung den Plan seines ersten Buches entworfen, sondern inmitten desjenigen steht, welcher ihm bei der Ausführung des zweiten als Vorlage gedient hat."

„Esse ea quae solido atque aeterno corpore constent / semina quae rerum primordia esse docemus" Lucretius v. 500 promiserat se comprobaturum esse atque his versibus comprobare studet. Eadem inani carere consentaneum erat neque denuo demonstrari opus erat. Quod apud Diogenem Laertium minimae partes ad soliditatem atomorum comprobandam non adhibentur, documento esse non potest Lucretium illam demonstrationem initio praetermissam postea inseruisse. Neque verisimile est eum in fundamento totius doctrinae struendo tam parum diligenter rem tractavisse, ut gravissimum argumentum omitteret.

Versus igitur 503—634 eodem ordine, quo in libris sunt, a Lucretio scriptos esse et tribus argumentis, quorum extrema quaeque pars particula „denique" introducitur, primordia solida atque aeterna esse demonstrari existimo:

A. I. 1) principio (503—510), 2) praeterea (511—519), 3) tum porro (520—527), 4) haec (528—539),
II. praeterea (540—550),
III. denique (551—564),
B. I. huc accedit uti (565—577),
II. porro (578—583),
III. denique (584—598),
C. I. tum porro (599—614),
II. praeterea (615—627),
III. denique (628—634).

II. 629: Hic armata manus, Curetas nomine Grai
quos memorant Phrygios, inter se forte catervas
ludunt in numerumque exultant sanguine fleti (Bentleius: sanguinolenti)
terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictaeas referunt Curetas, qui Jovis illum
vagitum in Creta quondam occultasse feruntur.

Catervas oblongus et olim impressi, quadratus catenas, quod Lachmannus librarii errori adscribendum esse vidit. „Verum ne id quidem, ait Lachmannus, quod habent ceteri, catervas, quicquam boni in se continet, sed e superiore versu 628 in hunc perperam relatum est. nam oratio vinculum desiderat, quo alligentur illa, quae his subiecta sunt „Dictaeos referunt Curetas," neque ferri potest quod Creechius dedit „et" in fine versus positum ante „terrificas". itaque sententiam explebimus ita „inter se forte quod armis ludunt — Dictaeos referunt Curetas". nam forte temptandum non est, quod poeta significat eos non semper armis ludere sed interdum, si quando libuerit."

Lachmannum secuti sunt Bernaysius et Munroius, qui Lachmanni coniecturam summis effert laudibus „quod armis a certain correction of Lachmann: the sentence requiring the coniunction „quod" or „quia", the sense „armis".

Attamen quotiescunque hos versus legeram, addubitavi, num iam emendati essent, et Curetas Phrygios Curetas Dictaeos referre mirabar. Primum enim quoniam illos Curetas inter Phrygias catervas incedentes videmus, supervacaneum esse existimo addi a Graecis eos Phrygios appellatos esse Curetas.

Deinde Lucretium Phrygios Curetas Cretensibus tam graviter opposuisse, ut Graecos uno illo nomine usos esse videretur putare, non verisimile est, cum ipse fabulas Graecas referens his Curetibus illos Dictaeos Curetas significari dicat, qui Jovem occultavisse fingantur, et Graeci eodem nomine et Jovis custodes et magnae matris satellites κουρῆτας appellaverint. Initio enim nomen Curetum proprium erat custodum Jovis infantis, cum Cybelae ministri et cultores Corybantes nominarentur; postea vero a poetis et mythographis propter generalem similitudinem saepe confusi sunt et Curetes et Corybantes magis magisque coaluerunt. (Lobeck, Aglaoph. II 1111 sqq.)

Huc accedit ut propter Lucretii dicendi genus verba „nomine Grai quos memorant" tantum ad unum illud „κουρῆτας" pertinere videantur, cum poeta tamquam graece enuntiatum excusaturus tale aliquid addere soleat. cfr. I 830: Anaxagorae scrutemur homoeomeriam, / quam Graeci memorant, nec nostra dicere lingua / concedit nobis patrii sermonis egestas". III 101: „harmoniam Grai quam dicunt". VI. 423 „presteras Grai quos ab re nominitarunt." VI 906: „lapis quem Magneta vocant patrio de nomine Grai" His de causis voces „Phrygios" et „Curetas" coniungendas non esse puto.

Neque sententiam „armis" flagitare concedo. Nam armatam esse illam manum iam legimus et, cum Dictaeos imitentur Curetas in numerum aeribus aera pulsantes, quomodo ludentes cogitandi sint, non in obscuro est. Denique quam coniunctionem Lachmannus inseruit, certe causalis esse non potest; non quia armis ludunt, Dictaeos Curetas referunt, sed Dictaeos Curetas referentes illi iuvenes pompae Magnae matris deum hominumque attribuuntur. (Neque Lachmannus ipse coniunctionem „quod" causalem esse voluisse sed pro „quantum ad illud quod" posuisse mihi videtur.)

Quoniam Lachmanni coniecturam veram esse emendationem subscribere non possum, ipse eam rationem ineundam esse censeo, ut restituto verbo „catervas" non iam disseramus, quid sibi velit „catervas ludere," id quod veteres valde exercuit, sed cum eo coniungamus „Phrygias" pro eo quod libri habent „Phrygios". Ea vero, quae his subiecta sunt „Dictaeos referunt Curetas" duplici ratione facile ita alligari possunt, ut pro „se" aut coniunctio „si" aut pronomen relativum „qui" inseratur. Itaque scribendum esse puto:

Hic armata manus, Curetas nomine Grai
quos memorant, Phrygias inter { si / qui } forte catervas
luduut — — — Dictaeos referunt Curetas.

II. 902 sqq. Deinde ex sensilibus qui sensile posse creari
constituunt, porro ex aliis sentire sueti
mollia cum faciunt, nam sensus iungitur omnis
visceribus, nervis, venis, quaecumque videmus
mollia mortali consistere corpore creta.

Quoniam verba proxima „sed tamen esto iam posse haec aeterna manere" Lucretium docent antea dixisse sensilia aeterna esse non posse vel ex sensilibus ex infinito tempore sensilia reparari non posse, sententia totius loci statuenda videtur haec: Cum sensus omnis visceribus, nervis, venis, omnino talibus, quae mollia mortali corpore creta videmus, iungatur, ei qui sensile ex sensilibus creari putant in errore versantur; nam ea quae mollia sunt fundamento naturae esse non possunt, ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes; sensilia enim pereunt itaque sensilia iterum iterumque ex aliis sensilibus creari non possunt.

Verba „mollia—faciunt" suspecta non esse videntur. (cfr. Brieger Philol. XXV. pg. 77, Jahrb. 111 pg. 616). Itaque emendationes, quas proposuerunt Lachmannus: deinde ea, seminibus qui sensile posse creari / constituunt porro ex aliis sentire suetis, / mollia iam faciunt", Bernaysius: „deinde ea, sensilibus qui sensile posse creari / constituunt, porro ex aliis sentire suetis mollia conficiunt," Winckelmannus (Salzwedel 1857 pg. 13): „deinde ex sensilibus qui sensile posse creari / constituunt, prima ex aliis sentire sueti mollia item faciunt," probari non posse mihi videntur.

Etiam „quaecunque" servandum esse existimo. Verbis enim „nam—creta Lucretius se eos qui sensilia esse primordia existimant eadem mollia facere recte dixisse comprobat monens omnem sensum non nisi mollibus atque mortalibus rebus iungi. Itaque id agere videtur, ut non solum sensum visceribus, nervis, venis iungi, sed etiam illa primordia sensilia respiciens omnem sensum talibus, quae ut viscera, nervi, venae mollia et mortalia sunt, iungi moneat. Huic autem sententiae neque id quod Lachmannus coniecit „cuncta" neque id quod Munroius proposuit „cuique", sed codicum scriptura „quaecunque" satisfacere videtur. cfr. II 21 „pauca videmus / esse opus omnino quae demant cumque dolorem," ubi Munroius vertit: such and only such, which. III 547: „velut aures atque oculi sunt atque alii sensus, qui vitam cumque gubernant," ubi aures et oculi non minus quam alii sensus vitam gubernare videntur. Verba igitur „mollia—creta temptanda non esse puto.

Restant duo illi versus „deinde ex sensilibus qui sensile posse creari / constituunt, porro ex aliis sentire sueti".

Cum pronomen „qui" habere non videatur quo referatur, fere omnes interpretes pauca verba omissa esse putant et lacunam quam post versum 903 constituunt alius alio modo explent.

Christius (quaest. Lucr. München 1853, pg. 17), Goebelius (quaest. Lucr. Salzburg 1857, pg. 14), Susemihlius (Philol. XXV, pg. 77), Lambini coniecturam „suetis" amplexi sunt. Deinde Christius Lucretium tale aliquid scripsisse putat: „principiis constare putant mortalibus sensus,"

Goebelius haec supplet: „semina constituunt illi mortalia rerum," Susemihlius addit: „quae constent, mortalia dant his semina rebus." Munroius Lambini coniectura spreta annotat: a verse is lost here such as „ipsi sensilibus, mortalia semina reddunt (or habebunt), vertens: „next they who hold that the sensible can produced out of sensible elements, accustomed thus to derive their own sense from elements [which are sensible] in their turn, [do thus render their own seeds mortal,] when they make them soft.

Aliam viam ingressi sunt Pollius (Philol. XXVI, pg. 323) et Briegerus (Jahrb. 111, pg. 619). Alter verba „ex sensilibus" a lectore aliquo glossema ad verba „sentire suetis" adscripta deinde errore librarii pro verbis „ea debilitant" versui inserta esse putat, alter duas censet confusas esse recensiones: 1. deinde ex sensilibus qui sensile posse creari / constituunt, mortalia dant his semina rebus / mollia cum faciunt" 2. iam tibi seminibus qui sensile posse creari / constituunt porro ex aliis sentire suetis, / illi his attribuunt mortalia semina rebus / mollia cum faciunt.

Cum glossemata in Lucretii carmine non inveniri Briegerus doceat (pg. 618), Pollii mutatio vera esse non potest. Eum autem versum, qui ipsam sententiam contineret, a librario omissum esse parum verisimile est; neque multo probabilior fit res Briegeri explicatione.

Sed tanto apparatu nobis opus est? Nonne omnem difficultatem effugiemus, dummodo pronomen illud „qui" interrogativum esse sumamus? Poterat poeta, ut opinionem adversariorum refutaret, aut dicere eos explicare non posse, quomodo sensilia illa iterum iterumque nova sensilia crearent, quamquam mollia et mortalia essent, aut interrogare, quomodo id explicare vellent. Paucis versibus post idem Lucretius similiter interrogat v. 907: „qui poterunt igitur rerum primordia dici / et leti vitare vias, animalia cum sint / atque animalia sint mortalibus una eademque? et eodem modo atque nostro loco pergit: „quod tamen ut possint." Itaque ni fallor versus 902 sqq. interpunctione tantum mutata bene intellegi possunt:

„Deinde ex sensilibus qui sensile posse creari
constituunt, porro ex aliis sentire suetis,
mollia cum faciunt? nam sensus iungitur omnis
visceribus, nervis, venis, quaecumque videmus
mollia mortali consistere corpore creta".

Verba „porro ex aliis sentire suetis" quid valere putem, eis quae supra de totius loci sententia dixi intelligitur.

III, 196 sqq.: „Namque papaveris aura potest suspensa levisque
cogere ut ab summo tibi diffluat altus acervus,
at contra lapidum coniectum spicarumque
noenu potest."

Auctoritatem Lachmanni secuti fere omnes Lambini coniecturam „conlectum" comprobaverunt. Non omnibus probatur quod Lachmannus addit: „vera vitii sedes est in „spicarumque," primum quia nihil a re magis alienum excogitari potest quam hoc aut quod Veronensis editor et Naugerius dederunt „spiculorumque," tum quia Lucretius Graecam Ennii Luciliique licentiam, quam postea Catullus et Vergilius artificiose revocaverunt, exosus versibus in tres spondeos exeuntibus omnino abstinuit."

Briegerus (Philol. XXIII, pg. 407) „spicarumque" retineri iubet monens Vergilium talem versum in quattuor georgicon libris semel, in Aeneidis libris saepius adhibuisse; et quod ad sententiam pertinet non dubium esse putat, quin unus quisque Romanorum qui hos versus legeret illas spicas esse spicas testaceas intellecturus fuerit.

Id quidem rectissime Briegerus dicit quod semel scriptum inveniatur non iam eam unam ob causam in suspicionem vocandum esse, neque tamen Lucretium „spicarumque" scripsisse mihi persuasit. Primum enim papaveris acervo lapidum congeriem opponi satis est. Tum siquid addere vellet poeta, num spicas adiungeret, qua ratione, etiamsi ab omnibus recte intellectum iri speraret, gravitatem elocutionis minui ignorare non posset? Nonne potius, si gravitatem acervorum arte vere Lucretiana etiam verborum gravitate tamquam depingere voluisset, „tignorumque" vel „saxorumque" vel tale aliquid scripsisset? cfr. VI 102 „praeterea neque tam condenso corpore nubes / esse queunt quam sunt lapides ac tigna" II 444: quae nobis durata ac spissa videntur, / haec magis hamatis inter sese esse necessest / et quasi ramosis alte compacta teneri. / in quo iam genere in primis adamantina saxa / prima acie constant, ictus contemnere sueta, / et validi silices, ac duri robora ferri, / aeraque quae claustris restantia vociferantur. / illa quidem debent e levibus atque rotundis / esse magis, fluvido quae corpore liquida constant. / namque papaveris haustus itemst facilis quasi aquarum / nec retinentur enim inter se glomeramina quaeque / et procursus item proclive volubilis exstat.

Codicum igitur scriptura ni fallor retineri non potest. Lachmannus „deliberandum, ait, restat, siquid propius ad scripturam codicum accedens inveniri possit, quam quod mihi mentem poetae optime exprimere videtur: „At contra lapidum conlectum spiritus acer / nocnu potest." Etiam Bouterwekius, qui „conlectum vis aquilonis" dedit (de Lucretii codice Victoriano, Halle 1865, pg. 16), sententiam potius quam verba restituere videtur.

Bergkius et K. F. Hermannus ad lusus descendere videntur, hic (Philol. VIII, pg. 180) „rumpere spira," ille (Jahrb. 67, pg. 320) „spicea runa" coniciendo. Propius ad librorum scripturam accedunt coniecturae Bernaysii: „caurus movere," Munroii „ipse eurus movere," Purmanni (quaest. Lucr. Lauban 1858, pg. 10) „disicere umquam".

Neque tamen illi versum sanavisse mihi videntur. Quamquam enim Lachmanno concedo congeriem lapidum non posse coniectum appellari, tamen conlectus lapidum hoc loco non dici melius posse mihi videtur. Aqua colligitur et conlectus aquae est „Sammlung von Wasser, Wasserlache," lapides vero congeruntur vel coacervantur, neque de conlectu lapidum quemquam praeter metallorum peritos loqui posse existimo. Haec fortasse causa fuit, cur Grasbergerus, cuius dissertationem de Lucretii carmine (München 1856) inspicere mihi non licuit, „coniectus percitus aer" scribere mallet. (cfr. Philol. XXVI, pg. 329.) At in versu V 416 quem ille attulit „sed quibus ille modis coniectus materiai / fundarit terram et caelum pontique profunda, / solis lunai cursus, ex ordine ponam" coniectus materiai non est acervus materiai, sed potius impetus materiai. cfr. VI, 435: hoc fit ubi interdum non quit vis incita venti / rumpere quam coepit nubem, sed deprimit, ut sit / in mare de caelo tamquam demissa columna, / paulatim, quasi quid „pugno bracchique superne / coniectu trudatur et extendatur in undas." Praeterea „percitus aer" a librorum scriptura longe abest et constructio admodum tarda et dura fit. —

Quid igitur? Lapidum neque coniectus neque coulectus est ille acervus, qui hoc loco deesse non potest. Latere mihi videtur illud vocabulum ipsum in voce (sp) icarum (que) et Lucretium sic fere scripsisse puto: „At contra lapidum coniectu vincere acervum noenu potest" — Aura enim quae coniectu i. e. impetu acervum vincere studet est vehementissima.

Finem versus proximi fere eundem esse apud Lucretium non inusitatum est. cfr. I, 66, 67: „primum Graius homo mortalis tendere contra / est oculos ausus primusque obsistere contra." II, 596, 597 „montivago generi possit praebere ferarum. / quare magna deum mater materque ferarum. V, 1176, 1177 „non temere ulla vi convinci posse putabant fortunisque ideo longe praestare putabant.

Poeta postquam animum ex triplici natura, aura, aere, vapore constare docuit haec addit:

III 238: Nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum,
nil horum quoniam recepit mens posse creare
sensiferos motus quaedamque mente volutat.

Hic timeo ne Lachmannus versum 240 male claudicantem sublevaturus, ut „quaedam vis mentis" sensiferos motus volatare dici posset, priorem mutilaverit sensus mentionem inserens scribendo „quem" pro eo quod libri dant „mens." Quamquam enim omnes praeter Winckelmannum et Munroium (qui etsi Bernaysii coniecturam „recipit res" textui inseruit in adnotationibus [1886] scripsit: „may not „mens" be right? since the mind does not allow") Lachmanno auctore verba „mens recepit" reiecerunt, tamen, cum fere idem valeant atque id quod graece apud Herodotum et Platonem saepe scriptum invenitur λόγος αἱρεῖ explicari posse puto. Minus autem usitatis verbis consulto neque infacete Lucretius ideo uti mihi videtur, ut mens ipsa sibi per se sapiens (III, 145), tamquam caput et consilium in toto corpore dominans (III, 139) illam possibilitatem respuere videatur atque reluctari et negare se nil esse nisi auram, aerem, vaporem. Itaque verba „nil horum quoniam recipit mens posse creare / sensiferos motus" mutanda non esse existimo.

Pro eis vero quae sequuntur „quaedamque mente volutat" ipse in margine adscripsi „et mens quaecumque volutat" Similiter iam Goebelium (quaest. Lucr. pg. 24) video coniecisse „et quae mens cumque volutat". cfr. Philol. XXV, pg. 277.

Tribus illis naturis animi unam attribuit nominis omnino expertem, quae sensiferos motus prima didit per artus. Deinde quo pacto illa elementa animae inter se mixta quibusque modis compta vigeant rationem reddere conatur:

III 262: „Inter enim cursant primordia principiorum
motibus inter se, nil ut secernier unum
possit nec spatio fieri divisa potestas,
sed quasi multae vis unius corporis extant.

Verba „quasi — extant coniunctione „sed" cum enuncitatione secundaria quae praecedit tamarte coniunguntur, ut indicativus „extant" ferri non posse mihi videatur. Aut scribendum esse puto „et — extant" aut id quod praeferendum mihi videtur „sed — extent."

Hominum primorum vita, cultu, victu, ingenio, moribus, domiciliis, matrimoniis descriptis poeta unde sermo, variae voces, rerum nomina exstiterint docet. Natura, ait, varios linguae sonitus mittere subegit, et utilitas expressit nomina rerum. Unum aliquem hominem rebus nomina distribuisse et inde homines didicisse vocabula prima ineptum prorsus et absurdum ei videtur.

V 1054: Postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
pro vario sensu varia res voce notaret . .?

Hoc loco Lucretius, cum in consecutione temporum a reliquis scriptoribus non discrepare soleat (Holtze, synt. Lucr. pg. 138) et quid revera fecerit, non quid faceret genus humanum, dicat et ubique, verba mirandi si sequitur coniunctio „quod" vel „si," indicativum ponat (cfr. Lachmanni adnotationes ad V 667, VI 489, Holtzii synt. Lucr. pg. 140), „notavit" scripsisse existimandus est. Coniunctivus e fine versus superioris huc perperam deerravit.

Hanc coniecturam cum his novem annis sodalis seminarii philologici Gottingensis proferrem, magno gaudio affectus sum Hermanno Sauppe me recte vidisse affirmante et dicente se eo ipso die eandem emendationem margini adscripsisse.

Nunc antequam his quaestionibus finem imponam, versus VI 548 sqq. scrutemur, qui difficillimi esse videntur. Poeta quae ratio terrai motibus extet expediturus postquam terram supter item ut supera ventosis undique plenam speluncis esse et lacus, lacunas, rupes deruptaque saxa in gremio gerere exposuit montibus supter cadentibus totam terram superne concussam tremere docet. — Hoc modo terrae motum explicari posse quo facilius nobis persuadeat, Lucretius, sicut eius est mos, rerum manifestarum testimonio parvolis causis supter efficientibus magnas res admodum concuti comprobare studet. Duo affert exempla, alterum hoc:

„Et merito, quoniam plaustris concussa tremescunt
tecta viam propter non magno pondere tota."

Hic Lachmannus nimia sagacitate usus „plaustri" scribi iussit pro eo quod libri habent „plaustris". Non dubito quin poeta scripserit: „plaustris concussa tremescunt / tecta viam propter non magno pondere tota." Quod cum iam a Christio (quaest. Lucr. pg. 26) propositum et a Pollio (Philol. XXV. pg. 282) probatum esse videam, miror Munroium in quarta editione (1886) ne mentionem quidem facere librorum scripturam a nonnullis retineri.

Scruposius est alterum quod poeta affert exemplum in libris sic traditum:

„Nec minus exultantes dupuis cumque vim
ferratos utrimque rotarum succutit orbes."

„Vim" in fine versus collocatum Lachmannus vidit legendum „viai"; idem ceteras litteras fugientes ad hunc modum reprehendit: „nec minus exsultant, et ubi lapis cumque". Munroius cum intellegeret lapidem extare debere, ut rotarum orbes succutere posset, Lachmanni coniecturam emendare conatus pro verbis „et ubi lapis" scripsit „ut scrupus"; explicat: „scrupus viai would be a rough loose stone on the public way.

Alii aliud coniecerunt: Christius dedit: „exultant sedes, ubicumque viai" (= si qui locus viai), Grasbergerus de Lucr. carm. pg. 60: „sedes, ubi quicque viai." Sed cum Pollio (Philol. XXV 283)

consentio tecta (quae in versu 548 tantum tremescere dicuntur) vel sedes exultare non posse neque verisimile esse hos versus idem valere atque versus 548, 549. Aliam viam emendationis Bergkius ingressus (Jahrb. 67 pg. 327 sq.) scribendum esse proposuit: „exultant rupis, ubicumque viai / ferratos auriga"... Sed rupes transeunte curru exultantes vereor ne nemo umquam viderit neque quid eis fiat quae superne premantur poeta demonstrare videtur, sed quantula causa res succuti possint. Utrimque vero rotarum ferratos orbes succuti altera rota in rupem extantem incidente nemo negabit. Immo illa rota quae non incidit exultare solet, utraque succutitur.

Restat mutatio quam Pollius e verbis traditis quicquam tolerabile elici posse iam desperans protulit. annotavit: In den Buchstaben es dupuis muss also liegen: 1) das Subjekt zu exultant, 2) das Subjekt zu succutit, 3) die zu cumque gehörende Partikel. Das ist zu viel. Ich weiss keinen andern Weg, als zu schreiben: nec minus exultant onera, umbo ubicumque viai u. s. w. Eine zu umbo beigeschriebene Erklärung (etwa clupeus? denn sie braucht ja nicht richtig gewesen zu sein) entstellte den Text. Sententiae quidem satisfecit Pollius. Attamen illa mutatio parum verisimilis est. Primum enim veteres asperitatem viae „umbonem" appellavisse negaverim. Deinde etiamsi, id quod Briegerum negare iam supra commemoravi, in carmine Lucretiano glossemata inveniantur, tamen quomodo verba poetae tantopere depravari potuerint non satis intelligitur.

Tota vero turbatio inde orta esse videtur, quod homines docti non viderunt Lucretium, quid succuteretur, satis aperte iam dixisse verbis: „nec minus ferratos utrimque rotarum succutit orbes." Quid autem succutit? Rupes, ut succutere possit, extare debet. Itaque hoc modo vel similiter scribatur:

„Nec minus extantis rupis vis { cumque / quaeque } viai
ferratos utrimque rotarum succutit orbes."

Propter similitudinem litterarum facillime fieri poterat, ut librarius oculis aberrans rupuis scriberet. Mihi dubium est an „cumque" possit retineri conferenti Horatii carm. I, 32,13 sqq.: O decus Phoebi et dapibus supremi / grata testudo Jovis, o laborum / dulce lenimen, mihi cumque salve / rite vocanti", ubi quamquam iam Bentleium offendisse et a multis hominibus doctis Lachmanni coniecturam „medicumque" comprobari non ignoro, „cumque" suo loco stare existimo. cfr. Lucr. II 114: „contemplator enim, cum solis lumina cumque inserti fundunt radii per opaca domorum." Holtzius synt. Lucr. pg. 193 ibi „cumque" pro „et cum" positum esse dicit. Sed „fundere" pro „se fundere" vel „fundi" non inveni. cfr. IV 373: „semper enim nova se radiorum lumina fundunt."

Schulnachrichten.

A. Lehrverfassung.

I. Verteilung der Wochenstunden auf die Unterrichtsfächer.

(Die eingeklammerten Lektionen sind wählbar.)

	VI.	V.	IV.	UIII.	OIII.	UII.	OII.	UI.	OI.	zus.
Religionslehre	2	2	2	2	2	2	2	2	2	18
Deutsch	3	3	2	2	2	3	3	3	3	24
Lateinisch	9	10	9	10	10	8	8	8	8	80
Griechisch	—	—	—	7	7	7	7	6	6	40
Französisch	—	—	4	3	3	2	2	2	2	18
Englisch	—	—	—	—	—	2	2	2	2	8
Geschichte	—	—	2	2	2	2	2	3	3	16
Geographie	2	3	2	2	2	—	—	—	—	11
Mathematik	—	—	2	4	4	4	4	4	4	26
Rechnen	4	4	2	—	—	—	—	—	—	10
Physik	—	—	—	—	—	2	2	2	2	8
Naturkunde	2	2	2	—	—	—	—	—	—	6
Schreiben	2	2	1	—	—	—	—	—	—	5
Zeichnen	2	2	2				(2)			8
Turnen	2	2	2	2	2	2		2		14
Gesang	2	2		(1)			(1)			6
Hebräisch	—	—	—	—	—	(2)		(2)		4

Anm. Ein ausführlicher Unterrichtsplan mit Angabe der Lehrziele, des Lehrgangs und der Lehrmittel ist zum letzten Male dem Osterprogramm 1890 beigefügt worden und hat seitdem keine erheblichen Änderungen erfahren.

II. Lektionsverteilungsplan für das Schuljahr 1891/92.

Lehrer und Ordinarien.	OI.	UI.	OII.	UIIa.	UIIb.	OIIIa.	OIIIb.	UIIIa.	UIIIb.	IV.	Va.	Vb.	VI.	Zus.
Direktor Dr. **Stein.** Ol. Ul.	4 Griech. 2 Horaz	4 Griech. 2 Horaz												12
Professor **Hullmann.**	4 Math. 2 Physik	4 Math. 2 Physik	4 Math. 2 Physik					4 Math.						22
Professor **Richter.** Oll.	2 Homer	2 Homer	6 Latein 5 Griech.	5 Griech.			•							20
Oberlehrer **Böhnke.**			2 Gesch.	2 Gesch.		2 Gesch. 2 Geogr.	2 Gesch. 2 Geogr.	2 Gesch. 2 Geogr.	2 Gesch. 2 Geogr.					20
Oberlehrer Dr. **Kellerhoff.** UIIa.			2 Homer	8 Latein 2 Homer		3 Franz.	7 Griech.							22
